



Monialibus injungant, ut Officia ecclesiastica lingua vulgari persolvant, quin hi conformiter Apostolo agant, dubitari nequit. Hac enim ratione et *spiritus orat, nec mens sine fructu est.* *Psallunt spiritus, psallunt & mente,* ut consultit D. PAULUS ibid. v. v. 14. 15. Quamvis, si se Ecclesiæ praxi ad majorem conformitatem accommodent, & in inferiori illo precum gradu fistant, nec fructu devotionis erga Deum, nec reverentiæ erga ss. preces careant, ut notat A. LAPIDE; sicut nec caret idiota, qui cum Sacerdote in Missa orat, mentemque Deo jungit, & petit id, quod Sacerdos nomine totius Ecclesiæ supplicat. Liturgiam vero, aliaque Clericorum officia in lingua vulgari persolvi, nec vult Apostolus, nec, ut dictum est, consonum antiquæ Ecclesiæ est.

§. 21.

Recte proin sicut græcam Orientalis, sic latinam linguam Occidentalis tenet Ecclesia. Ut enim & hoc addamus: Tollamus linguæ latinæ scientiam, quæ potissimum propter Ss. Scripturas & preces a Clero addiscitur, & cum nihil habeat Pastor, quod ex D. AUGUST. HIERONYMO, AMBROSIO ceterisque SS. Patribus dicat, restat, ut nil omnino dicat, aut, quod ipse excogitavit, id magno cum suo & vulgi periculo dicat; plurium enim malorum mater & nutrix ignorantia Sacerdotum est. Adhæc, ruente communi lingua, ruet & exterior Ecclesiæ communicatio: Generalia Concilia vix sperare licet. Quid enim facient collecti in unum, si tot, ut olim apud turrim Babel, erunt penè linguæ, quot homines?. Teneamus itaque linguam communem, quæ a Majoribus nostris in utroque jure, in omnium artium studiis, in ss. literis & precibus tradita est.

POSITIONES SCRIPTURISTICÆ.

- I. Acta Apostolorum S. Lucam auctorem habent, eaque verosimilius ultimo, quo Romæ fuit, anno scilicet 60 in gratiam Romanorum conscripsit.
- II. Circa annum natalem Abrahæ inter Genesim C. 12, 4. & Act. Apost. c. 7. apparet duntaxat antilogia est.
- III. Baptismus Act. 8, 12. non in solo Nomine Jesu, sed sub sanctissimæ Trinitatis invocatione collatus est.
- IV. Ex versu 28. Cap. 20. ibid. In quo vos spiritus S. posuit Episcopos &c. non sequitur, Episcopis singulis universæ Ecclesiæ regimen commissum esse, eosdemque paris cum R. Pontifice auctoritatis esse.

- V. S. Paulus in *Epist. Rom.* Fidei in Christum efficaciam extollit, quin opera bona ad justitiam conferre neget.
- VI. Nec *C. 2, 14.* ibid. *Gentes naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, per adversarium: naturaliter lumen fidei & gratiae excludit; sed duntaxat legem positivam Mosaicam.*
- VII. In verbis *Rom. 9, 12. 13. & seq.*: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei &c.* gratuita prorsus electio traditur ab Apostolo, sive illa ad gratiam & fidem sit, sive ad gloriam, sive ad utramque simul; haec tamen non excludit liberum arbitrium.
- VIII. Ex *v. 13.* ibid. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* Esavi aeterna damnatio non probatur.
- IX. Ex *1. Cor. 5, 5.* liquet, tempore Apostolorum in Ecclesia modo excommunicandi potestatem fuisse exercitam.
- X. *1. Cor. 7, 15.* Apostolus per verba: *Quodsi infidelis discedit, discedat.* Non thori tantum, sed & matrimonii divortium videtur permittere.
- XI. Per coenam Dominicam, de qua *1. Cor. 11, 20.* sermo est, intelligi debet convivium participationi Eucharistiae praevium.
- XII. Ineptiunt omnino, qui per *stimulum carnis 2 Cor. 12, 7.* podagræ dolores intelligunt.
- XIII. Cephas à Paulo Antiochiæ redargutus *Gal 2.* non fuit Petrus Apostolorum Princeps, sed alias, forte ex 72 Discipulis.
- XIV. Mediator, de quo *Gal. 3, 19.* idem est, qui Novæ Legis Auctor est: Dei Filius.
- XV. Scopum Apostoli non videntur proxime attigisse, qui ex *v. 13. C. 4. Ephes.* *Donec occurramus omnes . . . in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi,* concludunt, omnes resurrectos in perfecti hominis etate, puta annorum 33 vel 36.
- XVI. Ex *v. 15. C 1 Ad Coloff.* *Qui est . . . Primogenitus omnis creature,* male intulerunt Ariani, & hodie inferunt Sociniani, Christum fuisse creaturam.
- XVII. Nec quidquam demonstrat locus *C. 2, 18.* ibidem: *Nemo vos seducat volens in humilitate & Religione Angelorum.* contra venerationem & invocationem sanctorum, & cultum dulie Angelis & Sanctis à Catholicis adhiberi solitum.



XVIII. Ibidem v. v. 22. 23. minime damnantur jejunia ecclesiastica, quæ justissimo ex fine præscripta sunt.

XIX. Per vocabula: primi ac deinde t. Thess. C. 4, 15. 16. intelligi nequit ordo resurrectionis ad resurrectionem, quasi alii post alios ad vitam sint ituri; sed simul omnes ad vitam ibimus.

XX. Gratia, de qua t. Tim. 4, 14. Episcopalis institutionis gratia est, Timotheo collata impositis manibus præbyterorum, id est Episcoporum.

XXI. Ex Epist. Hebr. C. 5. 7. 8. Sacrificium Missæ, quod in Ecclesia Catholica indesinenter offertur, apprime stabilitur.

XXII. Unctio, de qua Jacobi C. 5, 14. sermo est, alia omnino est ab ea, qua, superstite adhuc Christo, Apostoli ægris incolumentatem reddebat Marci 6, 13.

XXIII. Imo, qui hanc qua verum N L. Sacramentum non admittunt, alii quod Catholicæ Fidei caput evertunt.

XXIV. Per Babylonem t. Pet. 5, 13. intelligi debet Roma, ubi Petrus anno circiter 2do Claudii advenit, 25 annis fudit, ac dein Martyrio coronatus obiit.

XXV. Altercatio, de qua in Epist. Judæ v. 9. legimus, ubi S. Michael prævaluit, verosimilius de Moysis corpore ejusque sepultura fuit.

Pro coronide sequentes textus SS. Trinitatis Mysterio applicabimus

Deus Pater. הוּא יְקָרָנִי אֶבֶן אַתָּה אֱלֹהִים וְצָרֵר יְשׁוּעָתִי Ps. 89, 27.


Deus Filius. יְהֹוָה אֲכָר אֱלֹהִים בְּנֵי אַתָּה הַיּוֹם יְלְדָתִיךְ Ps. 2, 7.

Deus Spiritus S. רֹוח יְהֹוָה דָבָר בָּרוּךְ בְּנֵי וּמְלֹתוֹ עַל־לְשׁוֹנוֹ 2. Sam. 23, 2.

Trisagion. קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ יְהֹוָה צְבָאות Isa. 6, 3.

Προς τὰς την μετόνομα πάντα Θεούς






TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Blue									
Cyan									
Green									
Yellow									
Red									
Magenta									
White									
3/Color									
Black									



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
R	G	B																	